

Johann Quistorp Bernhard Alberti

Disputatio Theologica De Sacra Coena

Rostochii: Kilius, 1645

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738043672>

Druck Freier  Zugang



Vent.: B. Alberti
J. Quistorp /c
R. M. theol. 1645.

68

בְּהַחֲדָתוֹ אֱלֹהִים

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

SACRA
COENA,

Quam

per

Summi Numinis gratiam

&

Venerandæ Facultatis Theologicæ consensum

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Admodum Reverendi, Excellentissimi, Clarissimi

DN. JOHANNIS QUISTORPII,

S. S. Theolog. Doctoris, & in inçlyta Rosarum

Professoris Celeberrimi, ejusdem Facultatis Se-

nioris, ac p. t. Decani spectabilis, ad D. Mariæ Conco-

natoris vigilantissimi, Dn. Præceptoris & Pro-

motoris sui ætatem suspiciendi,

Publicè ventilandam exhibet

BERNHARDUS ALBERTI,

Grimma-Pomeranus.

In Auditorio Majori ad

diem .22. Martij. 2. April

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr. Anno 1645.

1645

80





Prooemium.

Quod Psalmista Psalm. III, vers. 2. de institutis DEI in genere pronunciat, magna opera ejus explorata omnibus volentibus ea; illud vel maxime de tremendo religionis nostrae mysterio, sacra Cœna nimirum affirmare & possumus & debemus. Humana imbecillitati ut consuleres DEUS rer. Opt. Max. bona invisibilis gratia sub visibilibus signis voluit exhibere. & non miremur sapientiæ sublimitatem? Fidei infirmitatem ut ex animis piorum tolleret, verbo suo sigilla immotum Consolationis fundamentum voluit appendere, & non predicemus bonitatis divinæ immensitatem? Magnum est opus hoc DEI bonitate sapientissimâ, magnum sapientiâ optimâ. Ut ergo in eo sapientiæ sublimitatem possumus admirari, bonitatis immensitatem predicare, atq. adeo exploratum sit hoc DEI magnum animis nostris, digno Christianis studio doctrinam de altero N. T. Sacramento, Cœnâ videlicet Dominicâ repæsemus, in quo ut feliciter versari valeamus, tu O triune, DEUS mentem & calamus ad veritatis cognitionem salutarem dirigas, inq. veritate cognitâ conserves. Sermo tuus est veritas, Amen.

THESIS I.

HOc præmissio, statim ad institutum nostrum accedimus, & tractationem doctrinæ de Cœna Dominicâ suscipimus. Ne autem à modo id fiat, initio Onomatologiam, seu definitionem nominis, deinde Pragmatologiam, seu definitionem rei, eâ quâ fieri potest brevitate considerabimus.

II. A Definitione Nominis, quæ voces discutit, meritò ordi-
mur, siquidem autore Festo, nomen dicitur quasi movimen, quod in
ipsius rei notitiam perducatur; & ἰνόματα Græcis sunt ὡς τῶν ὄτων νοή-
ματα; hinc Galenus illud in omni disputatione & re esse principium
non incongruè dixit, cap. 5. de Meth. med.

III. Vocum autem, seu appellationem quarum προῶσις pro-
positâ in materiâ prælibanda, aliæ sunt Biblicæ, aliæ Ecclesiasticæ.

IV. Biblicæ sunt, quæ in sacris literis reperiuntur, cum hoc Sa-
cramentum 1. δειπνον κυριακόν, Coena Dominica dicitur 1. Cor. II,
v. 20. Coena dicta est, non quod ex præscripto Christi vespertino tem-
pore sit celebranda in Ecclesia, sed quia Christus, abrogato ejus typo,
Agnò Paschali, qui non nisi circa vesperam manducari debuit Exod. 12,
v. 6. vespera & ingruente nocte eam instituit & substituit Matth. 26,
v. 20. Marc. 14. v. 17. Luc. 22, v. 20. 1. Cor. II, v. 23. Dominica nomi-
natur, quia (1) à Christo Domino Dominorum 1. Tim 6, v. 15. Apoc. 17, 14.
immediatè est instituta. (2) Verum corpus & verus sanguinis Domini
nostri Jesu Christi in ea exhibentur, (3) in commemorationem mortis
dominicæ celebratur 1. Cor. II, v. 25. 26.

V. 2. Τραπέζην καὶ πηλίκον κύβητος, Mensa & calix Domini
1. Cor. 10, 21. non quasi mensa lignea necessario sit adhibenda admini-
strationi Coenæ Dominicæ, sed per μετανομίαν pro cibo & potu, i. e.
pane & vino, itemq; corpore & sanguine Domini in hac cæna Christia-
nis ad manducandum & bibendum appositis.

VI. 3. Κοινὴ διαθήκη Novum Testamentum Luc 22, v. 20.
1. Cor. II, 25. vera enim veri Testamenti habet requisita, ut sunt: Testa-
toris notatio; Voluntatis declaratio; Hæredum designatio; Bono-
rum descriptio; Testium adhibitio; Sigillorum adjunctio. Novum
verò dicitur idè quia est pactum seu fœdus novum, quod antiquato
veteri in regno Christi succedere debuit Jerem. 31, 31. seq.

VII. 4. Κοινωνία τῆς σαρκὸς καὶ τοῦ αἵματος τῆς χεῖρῶν,
communicatio corporis & sanguinis Christi 1. Cor. 10, 16 quia hoc Sa-
cramento utentes redduntur participes corporis & sanguinis Christi,
ubi tamen rectè dicitur, definitionem potius rei quàm nominis hic esse
propositam. Hinc nomen Communionis & Communicantium apud
nos usu receptum est.

VIII.

VIII. *ἡ ἄμικτος* Sanguis, idq; per Synechdochen 1. Joh. 5, 8. tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis, ubi notatur ministerium Evangelij, Baptismus & S. Cœna.

IX. 6. Quidam etiam vocari putant *κλάσιν τῆ ἄρτης*, fractionem panis ex Act. 2, 42. & 46, cap. 20. 7. itidem per Synechdochen, quia ex ritu fractionis, per quem panis Eucharisticus ad distributionem preparatur, tota Sacramentalis actio intelligitur. Sed quia evidenter & apodicticè demonstrari nequit, oportere in illis locis per fractionem panis intelligi administrationem Cœnæ, ideoq; quidam de vulgaribus epulis phrasin accipiunt, quo sensu usurpatur Luc. 24, 35. Act. 27, 35. item de eleemosynarum distributione Esa. 58, 7.

X. Ecclesiasticae sunt illæ, quæ à Scriptoribus Ecclesiasticis, vel Græcis, vel Latinis usurpatæ leguntur.

XI. Scriptores Græci his potissimum utuntur appellationibus, cum S. Cœna dicitur: 1. *εὐχαρίστη* Gratiarum actio, idq; tum propter recordationem Christi cælesti suo Patri in institutione S. Cœnæ gratias agentis, tum propter finem ejusdem, qui est *ἀνάμνησις* h. e. publica & privata commemoratio beneficiorum Christi 1. Cor. 11, 26.

XII. 2. *Σύναξις* congregatio, non ideo, quod absolutæ necessitatis sit conventus ad usum hujus Cœnæ publicus, sed quod ordinariè sit vinculum & nexus congregationis & unitatis Christianæ 1. Cor. 11, 20.

XIII. 3. *Ἀγάπη* dilectio *tum* respectu Christi ad nos, quod factum hoc epulo summam animi sui erga nos dilectionem contestatus sit; *tum* respectu nostri ad Christum, quod dilectione & obedientia, erga illum moti desideremus his epulis uti; *tum* ideo, quia olim in S. Cœnæ administratione ditiores solebant panem & vinum, aliaq; *ἐδέοντο* offerre, ex quibus pars à Sacerdote consecrata populo in Eucharistia distribuebatur, reliquum vero ministris Ecclesiæ & pauperibus alendis & reficiendis cedebat, sicut hujus moris vestigia suppeditat ipse Paulus 1. Cor. 1, 21. Judas in Epist. suâ v. 12.

XIV. 4. *Λειτουργία καὶ ἱερουργία* publicum ministerium, & actio sacra, quæ voces nunquam accipiuntur pro sacrificio *ἱλαστικῶ*, quale Pontificij fingunt, sed potius pro publica bonorum tractatione

A 3

ve

vel administratione facta in Coena Dominica per quendam *λεύτερον* seu publicum ministrum, ut singulis caelestia bona virtute Spiritus S. distribuantur. Vide Act. 13. 2. Rom. 15, 16. 2. Cor. 9, 12. Phil. 2, 25. Liber Concord. p. m. 270.

XV. 5. *Πεσοφοραὶ καὶ ἰυσία* oblatio & sacrificium, idq; iterum non more Pontificiorum, qui hinc commenti sunt, in S. Coena offerri DEO Patri corpus & sanguinem Christi pro salute vivorum & defunctorum, sed *partim* propter munerum illam oblationem, administrationi S. Coenae conjunctam, *partim* propter preces, gratiarum actionem & confessionem, quae in ejus administratione & usurpatione fiunt; *partim* propter commemorationem unici illius propitiatori sacrificij in ara crucis à Christo oblari.

XVI. 6. *Μυστήριον*, & cum adjectione *Φεικτὸν μυστήριον* tremendum mysterium, quia mystica illa corporis & sanguinis Christi in S. Coena participatio supra captum & conspectum rationis humanae posita est; quo etiam pertinet, quod quidam ex Veteribus doctrinam hujus Sacramenti *μυσταγωγίαν* institutionem sacram vocarunt.

XVII. Scriptores Latini graecas hasce appellationes passim repetunt, dum S. Coenam vocant Eucharistiam, Agapen, Synaxin, Mysterium, Sacrificium, Hostiam, Oblationem, Holocaustum &c. sed non (ut modò dictum est) ad probandam Pontificiorum idololatriam, sed ob alias jamjam enumeratas causas.

XVIII. B. Lutherus in Catechismo, Articulis Smalcaldicis, & passim alibi S. Coenam nominat Sacramentum Altaris. Sacramentum quidem non significatu laxiori, quasi per illam vocem intelligeretur ritum aliquem sacrum, habentem mandatum DEI, cui addita sit promissio gratiae quae significatio obtinet in Apol. A. C. p. m. 200. completiturq; Absolutionem, quam vocant Sacramentum Pœnitentiæ, sed strictissimo, quo notat totam actionem mysticam, seu sacram, constantem benedictione vel consecratione elementorum, & distributione panis & calicis inter communicantes.

XIX. Altaris verò Sacramentum dicitur, quia in altaribus lapideis, quæ mensis in primitiva Ecclesia usitatis successerunt, fuit administrata, quam administrationem unà cum mensis illis lapideis propter jus Christianæ libertatis, & decentem in Ecclesia ordinem, sine ulla superfluitate in nostris retinemus Ecclesiis.

XX,

XX. Utuntur insuper nomine Missæ, quam vocem etiam Aug. Conf. retinet, nō ad approbandā superstitionem Romanensem, sed per libertatem civitatis DEL, quæ Ecclesia est, in qua vocabula valent id, quod jus civitatis statuit. Missæ autem nomen, juxta communem nostratum sententiam, primam traxit originem à ritu illo Græcæ Ecclesiæ, quæ dimittebat populum hac formula: λαοῖς ἀφείσθαι ἕσω populis sit dimissio, quod Latini sic imitabantur, ite, missa est, unde postea S. Cœna simpliciter Missa dici cæpit. Videatur Meissn. part. 2. Phil. Sob. s. t. c. 1. q. 16.

XXX. Tantum pro instituti nostri ratione de variis S. Cœnæ appellationibus, proximum nunc est, ut ad alterum Disputationis nostræ caput accedamus, & definitionem rei evolvamus. Hæc autem, secundum quatuor causarum seriem contexta talis habetur.

XXII. Cœna Dominica est sacra & solennis actio à Christo Θεωσθέντι instituta, quæ ipse mediante verbi Ministro per visibile & externum elementum, panem scilicet & vinum, verum suum corpus & sanguinem, omnibus utentibus, manducandum & bibendum offert, in sui commemorationem.

Seu

Sacramentum Altaris est verum corpus & verus sanguis Domini nostri Jesu Christi, sub pane & vino nobis Christianis ad manducandum & bibendum ab ipso Christo institutum.

XXIII. Fundamentum, sedes & locus Definitionis sunt verba institutionis, descripta à Matth. c. 26, 26. 27. 28. Marc. 14, 22. 23. 24. Luc. 22, 19. 20. & Paulo 1. Cor. 10, 16. cap. 11. 23. 24. 25. ex quibus controversiæ Eucharisticæ unice dijudicandæ sunt.

XXIV. GENUS Cœnæ Dominicæ est actio, quia (1) ipsum nomen hujus Sacramenti actionem significat, (2) institutio ejus verbis actionem requirentibus describitur, ut, comedite, bibite. (3) tota natura hujus Sacramenti in usurpatione consistit: tolle enim istam & Sacramenta ipsa destrues.

XXV. Quando autem actionem genus S. Cœnæ diximus, id non ita volumus intelligi, quasi Sacramentū hoc sit una tantum actio, sed intelligimus ceremoniam seu ritum actionibus pluribus, cum dispensantis, tum Sacramentum accipientis compositum, quæ tamen certo modo concurrunt, & unum aliquod constituunt, quemadmodum plurium habituum concursus facere potest habitum, qui certo modo unus dicitur.

XXVI.

XXVI. *Sacra* hæc actio dicitur, ut isto vocabulo à profanisationibus separetur; *Solemnis* nominatur, ut ludicræ ac privatæ, quæ privatæ, removeantur.

XXVII. Errant itaq; Calviniani plurimi loco generis signum venditantes.

XXVIII. Nec obstat, quod nostrates etiam Sacramentum hoc signum nominent. Nam tunc *vel* integra Sacramenta signa dicuntur, & ita describuntur à fine, quod sint obsignantia, seu ut A. C. art. 13. signa testificantia de DEI erga nos gratia; *vel* pars altera Sacramenti, externum, puta, elementum dicitur signum, & sic in V. T. quidem est *σημεῖον* πικρὸν rei cœlestis, quia ibi erat *σκιά τῶν μελλόντων*, in N. T. autem est, *πικρὸν*, cum ibi *ὁ σῶμα τῆς χριστοῦ καὶ κέναν* sit Coll. 2, 17. Hebr. 10, 1. & sic signū signat rei signatæ invisibilitatem, non absentiam.

XXIX. CAUSA EFFICIENS Principiis, seu Author institutæ Cœnæ est Salvator & Dominus noster Jesus Christus, ut patet ex locis thesi 23. allegatis, idq; non tantum secundum divinam, sed etiam humanam naturam propter Unionem Personalem; hinc regula: in operibus Mediatoris utraq; natura agit, quod sibi proprium est, cum communicatione alterius.

XXX. Hic est omnipotens. Nam ante Passionem dicit, sibi omnia tradita esse à Patre Matth. 11, 27. Joh. 3, 35. cap. 13, 3. post passionem iterum proficitur datam sibi esse omnem potestatem in cœlo & in terra Matth. 28, 18. æquum ergo est, ut certò statuamus, quicquid ordinavit, instituit, & promisit, id præstare ipsum posse Eph. 3, 20. neq; quicquam est ei difficile Gen. 18, 14. Zach. 8, 6. nedum impossibile Luc. 1, 37.

XXXI. Hic est verax, plenus veritatis Joh. 1, 14. & ipsa veritas Joh. 14, 6. in cujus ore nunquam fuit dolus 1. Pet. 2, 22. quapropter ei credere debemus, sive terrestria dixerit, sive cœlestia Joh. 3, 12. hoc est, quæcunq; docuerit, sive summa, sive infirma, sive consentanea sive dissentanea nostræ rationi visa, captivantes rationem nostram sub obsequium illius.

XXXII. Hic est Sapiens, imò ipse DEI sapientia 1. Cor. 1, 24. æquum ergo est, ut statuamus ipsum scire rationem & modum, quo possit suas promissionis implere, nec convenit, ut sapientia à filiis suis justificetur Luc. 7, 35.

XXXIII.

XXXIII. *Voluntatem* ejus si quis scire desiderat, verba institutionis eam nobis adaperiunt: *hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur; hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur.*

XXXIV. Notandum autem, quod Christus non solum primæ institutionis tempore S. Cœnam Discipulis suis administraverit, sed adhuc hodiè secundum utramq; naturam præsens sit, quoties juxta ipsius institutionem & ordinationem S. Cœna in Ecclesia administratur, atq; ipsemet corpus & sanguinem suum communicantibus distribuat.

XXXV. Quemadmodum enim in nullius hominis potestate positum fuit sacramentalem corporis & sanguinis Christi manducationem & bibitionem in S. Cœna instituere; ita quoq; in nullius hominis potestate est corpus & sanguinem Christi in eâ distribuere.

XXXVI. Nullus, inquis, de Autoris dubito Persona, at de verborum institutionis dubito sententia, num *κατὰ τὸ πῆλιν*, an *κατὰ διάνοιαν* sint accipienda? ad quam dubitationem tollendam sequentia, eaq; firmissima pro *τῷ πῆλιν* retinendo adducimus argumenta:

XXXVII. 1. *à perspicuitate dogmatum fidei desumptum est.* Omnis Christianæ fidei articulus propriis & perspicuis verbis alicubi in Scripturâ exprimitur, aliàs si non fieret, fides nostra ob Scripturæ imperfectionem humanis niteretur opinionibus. Articulus de S. Cœna est Articulus Christianæ religionis. Ergò.

XXXVIII. 2. *à Testamenti natura & qualitate.* Quicquid solenniter sub forma Testamenti proponitur, ejus verba simpliciter & propriè sunt accipienda, juxta Gal. 3, 15. Cœna Domini solenniter sub forma Testamenti proponitur, uti infra Thef. 6. evictum est. Ergò

XXXIX. 3. *Ab unanimi Evangelistarum & Apostoli Pauli consensu.* In cujus dogmatis descriptione omnes, quid annotarunt, admissim concordant, ejus verba simpliciter & propriè sunt accipienda, aliàs vel unus ex illis addidisset vel interpretationem, vel explicationem. Articulus de Cœna Domini est dogma, in cujus descriptione omnes, qui eum annotarunt, ad amissim concordant. Nam in prima Cœnæ parte omnes testantur Christum dixisse: accipite, comedite, hoc est corpus meum; in secunda parte variantur quidem verba, sed idem sensus permanet: bibite, hic est sanguis meus N. T. dicunt Math. c. 26, 28. Marc. 14, 24. Hic calix est N. T. in meo sanguine, h. e. propter meum sanguinem, cujus est communicatio, scribunt Luc. 22, 20. 1. Cor. 11, 25.

Præpositio enim (IN) apud Hebræos sæpè propter significat. v. g. Gen. 29, 18. Deut. 24, 16. Act. 17, 28. Eph. 1, 4.

XL. 4. A sensus dianoëtici πολυκεφαλία seu discrepantia. Quicumq; sensus non unam accertam gignit sententiam, sed in diversas facit abire partes, ille pro vero non est amplectendus, quia Spiritus S. sibi semper est similis, neq; unquam à se discrepat. Sensus dianoëticus Calvinistarum est talis, uti sequenti thesi probabitur. Ergò.

XLI. Carolstadius enim subjectum, seu pronomen δεικτικόν HOC per adverbium HIC explicat, hoc sensu: hic sedet corpus meum. Zwinglius cardinem hujus rei in copula EST versari, inquit, quam accipit pro significat. Oocolampadius & alij arripiunt Prædicatum, & vocabulum Corporis pro signo corporis positum esse opinantur, hoc modo: Panis est μνημόσυλον s. signum memoriale corporis mei. Zanchius pronomen QUOD pro quatenus accipiendum esse censet. Bucanus figurata prædicatio est, inquit, non in singulis verbis seorsim &c. sed in tota attributione. Keckermannus distinguit inter proprietatem Logicam & Rhethoricam, & prædicationes has (Panis est corpus Christi, & Vinum est sanguis Christi) non Rhethoricè, sed Logicè esse improprias, & vocari extrinsecas, relativas, analogicas.

XLII. Quia itaq; in διαβολῇ sua quovis polypo sunt mutabiliores, meritò retinemus Ἐρητόν Christi, quippe quod gignit certam πληροφροσίαν, ut dicere possimus cum Luth. tom. 3, Jen. p. 489. Domine Jesu Christe, controversia in mundo agitata fuit super verbis testamenti tui, quæ quidam aliter intelligunt, quam sonant. Verùm quoniam nihil me certi docent, sed omnia perturbant & incerta reddunt, fidem & conscientiam meam ipsorum glossis permittere non potui &c.

XLIII. CAUSA MINUS PRINCIPALIS, seu Instrumentalis est solus Ecclesiæ minister, ritè ad hoc officium vocatus. Etsi enim Christus ipse primus Sacramenti hujus fuerit dispensator, qui, cum suum esset Testamentum, non mediatè voluit institui, operà alicujus hominis, sed immediatè, per se, in propria persona, tamen postquam ascendit ad cœlos visum ipsi fuit in administratione Sacramentorum, uti opera ministrorum Ecclesiæ, qui propterea dicti sunt dispensatores mysteriorum DEI 1. Cor. 4, 1. & DEI cooperarij 1. Cor. 3, 9. 2. Cor. 6, 1.

XLIV. Horum ergo officium proprium est symbola, mandato Christi

Christi prædefinita seligere, & vi ordinationis divinæ panem & vinum à communi usu ad hunc sacrum consecrare, ut fiant *σῶμα* corporis & sanguinis Domini.

XLV. Minister autem non suo, sed DEI nomine in administratione Sacramentorum agit, ideoq; eorum probitas, fides & intentio Sacramentorum integritati & efficaciz neq; addit, neq; detrahit aliquid, juxta ritum illud: vim Sacramenti non mutat vita ministri.

XLVI. Quamvis itaq; verbi Minister, dum suo munere in verbi & Sacramentorum dispensatione fungitur, nihil propria potentia & efficacia agit, sed Christo operam suam navat, ita, ut efficacia divina & ministerium hominis, ut instrumentum, toto genere differant 1. Cor. 3, 9. 2. Cor. 4, 7. tamen actio personæ ministrantis & efficacia in usu legitimo nequaquam sunt distractæ, aut divulsæ, sed ita conjunctæ, ut neutra sine altera Sacramenti nomen veri possit.

XLVII. Sic quoq; in dispensatione Cœnæ Dominicæ ministri utens manu Christus porrigit & dat corpus & sanguinem suum, nec id seorsim, extra aut circa ministerium ordinarij ministri.

XLVIII. MATERIA (circa quam) seu, ut loquuntur Theologi, substantia S. Cœnæ est verum corpus & verus sanguis Domini nostri Jesu Christi, cum pane & vino sacramentaliter unita, nobisq; Christianis ad manducandum & bibendum à Christo instituta.

XLIX. Constat ergò S. Cœna ex rebus duabus, quarum altera est *αισθητή* seu sensibilis, altera *νοητή* seu intelligibilis; illa externa, hæc interna; illa terrestris, elementaris & visibilis, hæc cælestis, spiritua- lis & invisibilis dicitur.

L. *Materia terrena seu elementaris* sunt externa visibilia signa, panis vinum, quorum permutationem cum analogo aliquo cibo & potu, ut caseo, lacte, asello, aqua aut aliis admittere vetat religio.

LI. Per Panem hoc loco tantum intelligimus verum frumentaceum panem, ex farinâ frumentaceâ & aquâ subactis virtute ignis pistum, ut sit cibus homini idoneus.

LII De Qualitate illius, licet olim accerrimè fuerit disputatum inter Græcos & Latinos, azymusne an fermentatus adhiberi debeat, & hunc Græci, illum Latini propugnaverint; tamen, quia est res adia- phora, sententiam Latinorum, propius ad Christi actionem primævam

precedentem, qui coenam hanc instituit die azymorum Judaicorum
Matth. 26, 17. Marc. 14, 12. Luc. 22, 7. retinemus, & placentulas, seu ho-
stias in fermentatas, administrationi Sacramenti hujus accommodatissi-
mas, pie adhibemus.

LIII. Neq; hic disputandum esse judicamus de externâ formâ
Panis, rotundusne, an alius; neq; de Quantitate, magnusne an parvus
esse debeat, modò omnia ordine & decenter fiant in Ecclesia, vitetur
scandalum, nec Christianæ libertatis periclitetur privilegium.

LIV. Per Vinum intelligimus verum & naturale vinum, quod
genimen seu fructus vitis, & ex uvis genuinis expressus liquor dicitur
Matth. 26, 29. Luc. 22, 18. itaq; perinde est, album an rubrum adhibeatur,
utrumq; enim est verum vinum.

LV. Concilium Florentinum, ut rem necessariam, urget Cra-
ma Eucharisticum, quod & moderni Pontificij etiamnum observan-
dum præcipiunt, verum cum nulla necessitas mandati nos ad istam mix-
turam urgeat, nulla nobis necessitate imponi patiamur, sed tunc elemen-
ti hujus puritatem observamus & retinemus.

LVI. Officium horum symbolorum non est (1) ut inservians
famæ & sitî corporali sedandæ, quod Paulus in suis Corinthiis reprehendit
1. Cor. 11, 20. 21. 22. 34. nec (2) ut adumbrent corpus & sanguinem
Domini, quia tertium illud adumbrationis Calvinisticæ v. g. nutrire
corpus, sedare famem & sitim, exhilarare & reficere cor &c. competit
etiam panî & vino extra S. Cœnæ usum constituto; sed (3) ut sint
συνάγωγα corporis & sanguinis Domini, inserviantq; eorundem distri-
butioni & perceptioni.

LVII. Veritati eorum repugnat portentosum illud Pontificio-
rum *dogma de Transsubstantiatione*, quo nugantur, panem & vinum vi
verborum murmurantis & consecrantis sacrificuli amittere suam sub-
stantiam, & transsubstantiari in corpus & sanguinem Domini, ut sine
panis & vini substantia corpus & sanguis Domini maneat sub externis
speciebus, & purisputis accidentibus elementorum. Sed notentur con-
tra illud seq. Argumenta:

LVIII. 1. *à Scriptura perfectione desumitur.* Quodeunq; do-
gma neq; secundum verba, neq; secundum rem in Scripturis habetur,
illud falsum & ex Ecclesia Christi exterminandum est. Dogma illud de
Trans-

Transsubstantione nec secundum verba, nec secundum rem habetur in Scriptura. Ergo.

LIX. 2. *à manifesta cum verbis Cœna pugna.* Quodcumq; dogma pugnat cum expressa verborum institutionis litera, illud falsum est & repudiandum. Dogma Transsubstantiationis pugnat cum expressa verborum institutionis litera, quia verba institutionis panem & vinum IN & POST consecrationem vocant panem & vinum. IN consecratione 1. Cor. 10, 16. POST illam de pane Matth. 26, 26. Marc. 14, 22. Luc. 22, 19. 1. Cor. 11, 23. de pane & vino Paulus 1. Cor. 10, 17. 1. Cor. 11 26. 27. 28. Ergo.

LX. 3. *Ab absurdis.* Quodcumq; dogma plurimas gignit absurditates Philosophicas & Theologicas, illud merito ex Ecclesia Christi exterminandum est. Dogma Transsubstantiationis plurimas gignit absurditates *tum Philosophicas*, dum (1) ponit accidentia sine subjecto, (2) concedit annihilationem, (3) accidentibus tribuit vim nutriendi &c. *tum Theologicas*, posita enim transsubstantiatione (1) non possunt verba institutionis rectè & constanter exponi, (2) duplex concedenda conversio, aquæ in vinum, & vini in sanguinem Christi, (3) falsa est collatio antiquitatis inter S. Cœnam & Personam Christi (4) neganda est veritas externorum elementorum, (5) multa indignissima de corpore Christi erunt concedenda, (6) sequitur Christum habere duo corpora, alterum, quod ex Maria virgine assumpsit, alterum, quod ex pane formatur. Ergo.

LXI. Pertinet huc etiam, quod Transsubstantiatio peperit alios errores & superstitiones, videlicet *ἡρωλατρείαν*, repositionem hostiæ consecratæ, circumgestationem, adorationem &c. quorum omnium nullum omninò in sacratissimæ hujus Cœnæ institutione apparet vestigium, ideoq; merito illud signum repudiamus.

LXII. MATERIA COELESTIS seu *Spiritualis* est verum corpus & verus sanguinis Domini nostri Jesu Christi, illud, inquam, corpus, quod pro nobis traditum est, & ille sanguis, qui pro nobis effusus est in remissionem peccatorum, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

LXIII. Dicuntur autem corpus & sanguinis Domini materia cœlestis non ideò, quod in cœlo tantum reclusa fide volitante super sidera captentur sed (1) respectu qualitatum & gloriæ, (2) quia cœlesti & ineffabili

effabili modo, verè tamen, realiter & substantialiter sint præsentia, exhibeantur & percipiantur.

LXIV. Hanc *παρουσίαν* corporis sanguinis Domini in S. Cœna partim aperitè, partim testè negant Calviniani, ideoq; contra eos sequentia observamus argumenta:

LXV. 1. *à persona dicentis majestate.* Quicumq; est verax & omnipotens ille etiam promissa sua servare optimè potest. Christus *Ἰεσὺς Ἰσωτα* & est verax & omnipotens, uti infra probavimus th. 30. & 31. Ergo etiam suam præsentiam, quam in S. Cœna verbis, edite, hoc est corpus meum, bibite hic est sanguis meum, promisit, servare potest.

LXVI. 2. *A Veteris & N. T. diversitate.* Quicumq; non est umbra futurorum bonorum, sed habet ipsum corpus, ipsam substantiam, ipsamq; expressam imaginem, illud non potest figuram nudam, corporis & sanguinis Christi habere; differunt enim V. & N. T. substantia Coll. 2, 17. Ebr. 10, 1. Cœna Dominica est talis. Nam Christus dicit: hoc est sanguis (non hircorum, aut vitulorum, neq; agni paschalis, qui erat typicus, sed) meus, ipsius scilicet filij hominis sanguis, sanguis, inquam, non V. T. antiquati, sed N. T. olim per Prophetas promissi, nunc verò sanciti & confirmati. Ergo illa non potest figuram nudam corporis & sanguinis Christi habere.

LXVII. 3. *Arestium auctoritate.* Quodcumq; de divina voluntate & benevolentia testatur in terris, illud etiam in terris maximè præsens est. Atqui sanguis Christi de divina voluntate & benevolentia in terris testatur 1. Joh. 5, 8, tres sunt, qui testificantur in terra, Spiritus, & aqua & sanguis, ubi per Spiritum intelligitur ministerium Evangelij, quod est ministerium Spiritus 2. Cor. 3, 8. nomine aquæ baptismus, per sanguinem verò S. Cœna quia Sacramenta sunt testimonia divinæ voluntatis, ut loquitur August. in Conf. Ergo sanguis Christi in terra maximè præsens est.

LXVIII. 4. *A varia Christi præsentia.* Si Christus alio, quam locali modo in S. Cœna adesse potest, sequitur modo locali sublato, non statim tolli corporis & sanguinis Christi præsentiam in Cœna. Atqui verum est antecedens ex sequentibus. Ergo.

LXIX. DEUS enim non uni illi locali præsentia modo alligatus est, sed varios modos, quibus alicubi esse potest, in sua potestate habet, præcipuè (ut Lutherus dicit,) triplicem.

LXX.

LXX. *Primo corporalem, comprehensibilem, physicum & localem modum.* Sic Christus conversabatur in mundo, ubi circumscriptivè secundū quantitatis suæ dimensionem proportionalem capiebat & complebat locum stando, eundo, jacendo, haud secus, sicut reliqua corpora locata, quorum locatio hoc postulat, ut locus sit aequalis locato, & continens majus contento. Et hoc modo præsentia usus est quando voluit, & uti potest, cum & quando vult, sicut se hoc modo exhibebit, cum venturus est judicare vivos & mortuos. Hoc locali modo humana Christi natura non est in DEO, nec enim assumpta est in locum, sed in *λογον*, neq; hoc modo est cum Patre, aut in cælis.

LXXI. *Secundò illocalem, incircumscriptum seu definitivū,* ubi nec locum capit, nec loco capitur, sed omnes Creaturæ illi sunt permeabiles, & penetrat quasvis dimensiones, illæsa corporis sui veritate, ut cum lux & lumen diffundit se per vitrum, per aërem, per aquam, quæ diffusio luminis in instanti fit, & sine inclusione circumscriptiva. Hac illocali *δυνάμει* omnia corpora beatorum spiritualia & gloriosa ornabuntur & induentur in altera vita 1. Cor. 15. Phil. 3. Hoc modo usus est Christus, cum resurgeret è sepulchro clauso & obsignato, cum per januas clausas ad discipulos ingrederetur, & sicut est in pane & vino Cœnæ; atq; hoc modo creditur de Maria virgine natus esse.

LXXII. *Tertio divinum & caelestem modum,* quo humana Christi natura cum DEO in una persona est, juxta quem omnes creaturæ illi longè sunt præsentiores, quam modis superioribus. Nam si superiori modo sic adesse potest Creaturis, ut nec tangatur, nec sentiatur, nec capiatur, quanto magis adesse poterit illis juxta hunc tertium modum, ut ipsum non includant, circumscribant aut comprehendant, sed potius ut ipsas præsentis habeat, circumscribat & comprehendat, qui modus licet verissimus, & soli DEI notus, nobis tamen, imò angelis etiam est incomprehensibilis & inexplicabilis.

LXXIII. Quod cum ita sit, quid illi obstare poterit, quo minus hoc, quod promissit, in Cœnæ mysterio præstet, hoc est, corpus suum nobis edendum sub pane, & sanguinem suum bibendum sub vino præbeat, & nos illa accipiamus.

LXXIV. Desinant ergò sensus & ratio humana corpus filij DEI in tremendo hoc mysterio *παμεργειν*, & realem Christi præsentiam negare,

gare, quomodo enim id fiat, nec lingua valet efferre, nec acumen rationis humanæ assequi.

LXXV. FORMA S. Coenæ duplex est: vel Interna, vel Externa.

LXXVI. Forma Interna S. Coenæ consistit in rei terrestris cum cælesti Unione.

LXXVII. Quando autem de Unione hic est sermo, probè notandum est, nos non intelligere *Unionem* (1) *Essentialem seu physicam* propterea quod hæ duæ res terrena & cælestis in ipso etiam usu Sacramentali moneant quoad essentias distinctæ, neq; invicè vel commisceantur, vel confundantur, vel commutentur, vel ullo pacto transubstantientur. (2) neq; *Personalem*, quippe quæ soli Personæ Christi propriè competit, neq; ulli alij rei seu mysterio est communicabilis. (3) *neq; Accidentalem*, quæ contingit vel per diversarum Specierum mixtionem vel per aggregationem, vel etiam per *παράθεσιν* & appositionem, Nam hoc modo corpus Christi & panis, vel sanguis & vinum in S. Coena non ununtur, ut unum per Accidens constituent (4) *neq; Relativam*, in qua nulla fit realis copulatio symbolorum cum re cælesti, sed nuda tantum eorum relatio, h. e. mystica corporis & sanguinis Christi per panem & vinum significatio & representatio, nam sic tolleretur altera pars essentialis Sacramenti, videlicet res cælestis, corpus & sanguis Domini; sed (5) *Sacramentalem*, qua duæ diversæ res, nempe terrena & cælestis, hoc est, panis & vinum, corpus & sanguis Christi, in vero usu Coenæ, qui consistit in manducando & bibendo, sacramentaliter h. e. supernaturali & ineffabili modo, sibi invicem sunt unitæ, & secundum institutionem Christi simul distribuuntur & accipiuntur.

LXXVIII. Hæc Unio Sacramentalis pro fundamento habet verba institutionis, & dependet in solidum ex voluntate promittentis, & ex ordinatione Sacramentum hoc instituentis, qui est conditor omnium rerum & quæ non sunt, vocat, ut sint Rom. 4, 17.

LXXIX. Quocirca, si quando piam mentem exercet cogitatio *de modo*, tum eadem recurat ad verbum DEI, quod monstrabit, carnem Christi ex unione cum omnipresente *ἁγία* ditatem esse illis divinis eminentiis, ut sese singulis ubi locorum communicantibus sistere facillimè possit, etsi nos modum illius rei cogitando assequi, intelligere & eloqui nequeamus.]

LXXX,

LXXX. Sufficiat uobis scire, quod Christi corpus non naturali modo simul in omnibus aut multis locis, ubi Coena Domini celebratur & administratur, praesens exhibeatur, sed modo supernaturali, qui dependet ex ratione Unionis Personalis, & sessionis ad dextram DEI.

LXXXI. Ex Unione hac resultat consideratio *Propositionum Sacramentalium*, quarum duae praecipue occurrunt: Hoc est corpus meum, & Panis est corpus Christi.

LXXXII. Hae duae Enunciationes non per omnia aequipollent, quod patet ex actis Colloquii Maulbrunnensis, auspiciis Friderici III. Electoris Palatini & Ducis Christophori, Ducis Wittenbergici anno 1564. celebrati, ubi Theologi Wittenbergici à Palatinis interrogati, utrum illas Enunciationes planè & per omnia eandem esse statuerent, negativè responderunt.

LXXXIII. Ipse etiam Apostolus discrimen agnoscit, quando 1. Cor. 10, 16. mutato subiecto & substituto pro Pronomine HOC vocem Panis, illicò etiam mutat Praedicatum, atq; dicit: non ita, panis est corpus Christi, sed panis est *κoinωνία* corporis Christi.

LXXXIV. Differunt autem illae tribus potissimum modis: 1. *Prior* est *ἰσχυρὰ* & auctoritatis divinae; *Posterior* verò est *ἀνεργαστήριον* & auctoritatis humanae.

LXXXV. 2. *Prior* quoad effectendi modum & sermonis proprietatem usitata est, nitens quippe communi loquendi consuetudine, quae similes locutiones ubicunq; suppeditat v. g. hoc est vinum, i. e. in hoc vase est vinum. Hoc est thesaurus, i. e. in crumena haec est thesaurus. Hoc est infans, i. e. in cunis his est infans. In quibus formulis loquendi res principalis, & ab externis sensibus remota exprimitur, & minus principalior tanquam medium atq; organon exhibitionis connotatur, quam praedicandi rationem Lutherus vocat Synecdochicam, alludens ad grammaticam vocis significationem, qua Graecis *συνεδοχή* idem quod Latinis comprehensio, comprehendit enim Subiectum in Propositione hac (Hoc est corpus meum) utramq; materiam, tum terrestrem, tum caelestem. *Posterior* est Inusitata, siquidem disparatum de disparato enunciatnr propter Unionem realem, sed inusitatam, unde etiam Praedicatio ista merito Inusitata dici potest & debet.

LXXXVI. 3. *Prior* Enunciatio est plana & evidens, neq; ulterio-
C
riori

rori indiget explicatione, quippe quod singula verba propriè & *κατὰ τὴν ῥῆσιν* accipienda sint absq; ullo tropo.

LXXXVII. Si enim illis inesse tropus, aut subjecto inesse, aut Prædicato, aut Copulæ EST. Jam verò tropus non est in subjecto, aliàs non verus panis esset intelligendus; neq; Prædicato, aliàs tropicum Christi corpus denotaretur; neq; Copulæ Est, quæ nunquam sola *κατηγορεύεται*, sed semper est *συγκατηγορούμενον*.

LXXXVIII. Posterior verò citra declarationem fidei analogam admitti nec potest, nec debet.

LXXXIX. Declaratio verò illa huc redit, quod Panis sit & dicatur corpus Christi *non* Naturaliter, aut Essentialiter, *vel* secundum Transubstantiationem Pontificiam; *neq;* Significativè, aut Rhetoricè *vel* secundum *τροπολογίαν*, ἀλλοίωσιν *sive* ἀντίωσιν τῶν ὀνομάτων per permutationem nominum Sacramentariam; *SED* Mysticè & Supernaturaliter per & propter Unionem Sacramentalem, Mysticam & Supernaturalem, & proinde juxta illud: qualis unio, talis prædicatio, non absurdè enunciatio hæc (Panis est corpus Christi) appellabitur Sacramentalis, non sensu Calvinistico, sed Lutherano & orthodoxo.

XC. FORMA EXTERNA S. Cœnæ consistit in debita & legitima rerum Sacramentalium, institutionis verbo determinatarum tractatione seu actione.

XCI. Tractatio illa perficitur cum Consecratione, tum Dispensatione, & tandem Sumptione.

XCII. *Consecratio* est elementorum visibilium, Panis & Vini, ab usu communi ad usum Sacramentalem per verbum DEI separatio & sanctificatio.

XCIII. Non autem sentimus, hanc consecrationem & rerum Sacramentalium Unionem efficere ministrum, quasi aliqua virtus dependeat ab ejusdem dignitate, verbis aut intentione, quasi verborum, murmur magicam vim habeat inditam, sed quicquid & quantumcunq; illud fuerit, potentia & institutioni divinæ ascribendum est.

XCIV. De formula autem consecrationis notandum, est quod in usu Cœnæ Dominicæ verba institutionis Christi nequaquam omittenda, sed publicè recitanda sint, sicut scriptum est 1. Cor. 10, 16. calix benedictionis, cui benedimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? illa autem benedictio fit per recitationem verborum Christi.

XCv.

XCv. *Dispensatio est benedicti panis & vini inter fumentes distributio.*

XCvi. Dispensationi in prima Cœna infervivit *ὑπερκατασία*, quia usus fuit Christus more Judæorum, in manducatione agni palchalis pane grandiusculo, quem etiam in S. Cœnæ institutione adhibuit, qui mos postmodum aliquamdiu obtinuit in primitiva Ecclesia, quamdiu scilicet grandiusculi panis usus in administratione S. Cœnæ fuit observatus.

XCvii. De hac fractione panis quaesitum fuit inter nostrates & Calvinianos, an ut essentialis pars hujus Sacramenti sit attendenda, sic verbo DEI mandata, ut omitti vel mutari nullo modo debeat, imò sine eadem S. Cœna legitime administrari nequeat? Respondeo (cum Cl. Dn. Doct. I. A. p. m.) tribus verbis, distinguendo inter Fractionem Panis Communitivam, vel Communicativam. *Hæc* consistit in panis exhibitione, distributione & traditione, & necessaria est, quia pertinet ad formam & *ὁικονομίαν* Sacramenti. *Illæ* autem ab Evangelista verbo fregit indigitatur, & potest dari triplex: 1. *Dominica*, qua usus est Christus pro circumstantiâ grandiusculi panis in prima Cœna. 2. *Missifica*, ejus usus est apud Sacrificulos, non ut distribuant panem ex mandato Christi inter alios, sed mimico peracto ludibrio soli deglutiant. 3. *Figurativa*, qua fractionem corporis Christi in cruce adumbrare volunt Calviniani, ac propterea ut partem essentialem S. Cœnæ observandam gratis præcipiunt. Hanc & istam non probamus, illam verò apud nos etiam pro panis differentia & statu Ecclesiæ vel observari, vel negligi, Christianismi privilegio, liberè posse, existimamus. Conf. tom. 2. Disp. Witenb. Disp. 3. p. 251. seqq.

XCviii. *Sumptio* consistit in panis (qui est *κοινωνία* corporis Christi) manducatione, & vini (quod est *κοινωνία* sanguinis Christi) bibitione.

XCix. Graviter ergo hic errant: 1. *Pontificij*, qui persuasione concomitantia edendo bibere jubent, & ex iniquo Constantiensis Concilij permisso *παρακολλησίαν* committunt. 2. *Calviniani*, qui geminam Sacramentalem manducationem & bibitionem statuunt, unam *oralem*, quâ in S. Cœna panem & vinum percipiunt, alteram *Spiritualem*.

lem, qua corpus & sanguinem Christi fide volitante super sidera in coelo apprehendant.

C. Nos contra dicimus, unam eandemq; panis & corporis Christi esse manducationem, unamq; vini & sanguinis Christi bibitionem, quæ ore corporis non tamen Capernaïticè, sed supernaturali & & cœlesti modo ratione Sacramentalis Unionis cum pane & vino perficitur; hanc sententiam sequentibus contra Calvinianos probatam dabimus argumentis:

CI. 1. *A verbis institutionis.* Quocumq; organo Christus corpus & sanguinem suum sumendum definiuit, eo utiq; etiam sumatur necesse est. Atqui ore corporis Christus corpus & sanguinem suum sumendum definiuit, verbis accipite, comedite, hoc est corpus meum; bibite, hic est sanguis meus. Ergò.

CII. 2. *A $\chi\epsilon\iota\omega\nu\iota\alpha$ Symbolorum externorum cum corpore & sanguine Christi.* Quo organo accipiuntur panis & vinum, eodem etiam accipiuntur corpus & sanguis Domini, quia est inter illa $\chi\epsilon\iota\omega\nu\iota\alpha$ Sacramentalis 1. Cor. 10, 16. Atqui panis & vinum accipiuntur ore corporis. Ergò.

CIII. 3. *Ab exemplo Apostolorum.* Quomodo Apostoli Christi acceperunt corpus & sanguinem ejus, ita & nos accipimus. Atqui illi acceperunt ore corporis, ut habent verba institutionis Marc. 14, 23. & biberunt ex eo (poculo) omnes. Ergò.

CIV. 4. *A Manducatione indignorum.* Quamcumq; manducationem & bibitionem Christus in S. Coena intellexit, illa fidelibus & infidelibus est communis. Atqui comestio non fidei, sed oris piis & impiis est communis. Ergò.

CV. FINIS & fructus seu Effectus S. Coenæ consideratur vel respectu DEI, vel respectu hominum.

CVI. *Respectu DEI* Finis S. Coenæ est Christi recordatio & commemoratio, hoc est, interprete Apostolo, mortis Dominicæ annuntiatio Luc. 22, 19. 1. Cor. 11, 26.

CVI. Hæc autem commemoratio non est nuda & theoretica tantum, quæ cadit etiam in Diabolos, sed potius practica, continens *partim* pro acceptis à DEO beneficiis gratiarum actionem, *partim* nostræ erga DEUM obedientiæ testificationem, quando in usu S. Coenæ
restita-

testamur 1. obedire nos mandato DEI de hoc Sacramento piè usur-
pando Luc. 22, 19. 1. Cor. 11, 24. 2. & velle nos patienter ferre exem-
plo Christi crucem nostram Luc. 14, 27. 3. & conservare publicos
cœtus Christianorum 1. Cor. 11, 20. 4. & ornare nostram professio-
nem vitæ integritate, justitia & honestate.

CVIII. *Respectu hominum* Fines & Fructus seu Effectus S. Cœnæ
sunt duplices: quidam ratione Nostri, quidam ratione Proximi.

CIX. Ratione nostri, seu communicantium quadruplex datur
finis & usus: 1. *Omniium Christi beneficiorum specialis applicatio*, quia
ut quis in specie corpus Christi sub pane accipit, ita pro se in specie
corpus illud traditum esse credere debet, quo pacto scrupulus de Uni-
versalibus promissionibus & difficultate applicationis tollitur. 2. *Con-
firmatio fidei, & omniium beneficiorum Christi obsignatio.* Nam corpus
Christi, quod ore accipimus, est certissimum pignus, quo gratia DEI,
peccatorum remissio, justitia & vis fidei obsignatur, adeò, ut nullam
amplius de iis dubitandi causam habeamus, quum omnia tam efficaci
& salutaris artha, ipso nimirum pane vitæ pro vita nostra in mortem
tradito corroborentur. 3. *Firma in corpore Christi radicatio & implan-
tatio*, quoniam per manducationem unius glorificati corporis Christi
radicamur & sustentamur in uno corpore mystico, quod est Ecclesia,
siquidem unum corpus multi sumus, vera & viva Ecclesiæ membra
manemus, quia de uno pane Eucharistico participamus 1. Cor. 10, 17.
4. *Gratiosa Christi in nobis inhabitatio.* Non enim ipsi possumus cœ-
lorum secreta ἐμβραπύειν & ad Christum in gloria penetrare. Venit
igitur ipse ad nos, & ne majestate illius terreamur, mediante pane &
vino nobiscum se conjungit arctissime Joh. 6, 56. 5. *Resurrectionis ad
vitam æternam certitudo & testificatio.* Sumus enim membra corporis
Christi mystici, manducamus de pane vitæ, qui nos resuscitabit in novis-
simo die Joh. 6, 54. inde in Canone Niceno cibus & potus Eucharisti-
cus vocantur *σῦμβολα τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως.*

CX. Ratione Proximi S. Cœnæ fructus & finis est *partim*, in Con-
fessione, *partim* in operibus charitatis.

CXI. In Confessione fatemur 1. nos agnita peccata nostra seriò
dolere, & remissionem eorum querere in obedientia & morte Christi.
(2) nos approbare doctrinam Evangelicam, quæ publicè sonat in
Ecclesia.

CXII. *In Operibus charitatē testamur: (1) nos ex animo cōdonare proximo sua delicta, sicut DEUS nobis remittit peccata nostra Matth 5, 24. (2) & juvare velle pro virili pauperes & egenos. (3) eosq; agnoscere pro fratribus & membris mystici corporis, cujus caput est Christus.*

CXIII. *Circa Finem multipliciter peccant Pontificii: 1. panis Eucharistici repositione seu asservatione. 2. Circumgestatione. 3. Veneratione. 4. Sacrificij Missatici tum privata, tum publica celebratione. 5. Veri fructus S. Coenae negatione; quo errore sibi assentientes habent Calvinianos & Neophotianianos, quorum ventilationem, quia theses præter opinionem creverunt, ipsi conflictui reservabimus.*

CXIV. **OBJECTUM** S. Coenae sunt hospites hujus convivij, nimirum soli Christiani, hoc est, illi, qui doctrinam Christi amplectuntur, qui Baptismi Sacramentum susceperunt, & Ecclesiae Christianae inserti sunt.

CXV. *Distinguuntur autem communiter in dignos & indignos.*

CXVI. *Digni sunt, qui seipfos possunt probare 1. Cor. 11, 28. dijudicare vers. 31. corpus Domini à reliquis cibis distinguere vers. 29. & mortem Domini annunciare vers. 26.*

CXVII. *Excluduntur itaq; ab hac coena cum infantes, tum etiam adulti, ut Haeretici, peccatores notorij, excommunicati, infames, obsessi, furiosi & dementes, quos omnes hoc comprehendunt versiculo:*

*Ebrius, Infamis, Erroneus atq; Furiosus,
Cum Pueris, Domini non debent sumere corpus.*

CXVIII. *Indigni sunt, non illi, qui magnis peccatis polluti deinceps poenitentiam egerunt, ita enim neq; Petrus, neq; Paulus hoc cibo sacro vesci potuissent; neq; ij, qui jejuniis, castigatione corporis, auriculari confessione, & satisfactionibus canonicis ad S. Coenae participationem non satis preparati & purgati sunt; neq; per indignos eos intelligimus, qui veram quidem & justificantem habent fidem, sed languidam & infirmam, sed illos, qui non probant seipfos, h. e. qui non agnoscunt sua peccata, nec serio de illis dolent, de promissionum divinarum veritate dubitant, nec propositum habent vitam suam emendandi; summatim qui verā fide destituuntur,*

CXIX

CXIX. De hisce controvertitur inter nos & Calvinianos, quidam in S. Coena accipiant, & rectè respondetur, quod non solum panem & vinum, sed etiam mediante pane Christi corpus, & mediante vino Christi sanguinem Sacramentaliter accipiant, manducant ac bibant.

CXX. Quando autem dicimus, indignos manducare corpus Christi, de perceptione fidei seu manducatione Spirituali minimè illum intellectum volumus, hanc enim nemo impiis seu indignis tribuit, sed de Sacramentali manducatione, quæ omnibus S. Coenæ hospitibus communis est, & indignè manducantibus in iudicium cedit, nobis hic sermo est, quam sententiam etiam sequentibus probamus fundamentis.

CXXI. 1. *Ab expressa Apostoli Pauli assertione.* Quicumq; manducando de pane benedicto rei fiunt corporis & sanguinis Christi, illi revera corporis & sanguinis Christi fiunt participes. Atqui indigni manducando de pane & bibendo de calice benedicto rei fiunt corporis atq; sanguinis Christi 1. Cor. 11, 27. & 29. Ergò indigni reverà corporis & sanguinis Christi fiunt participes.

CXXII. 2. *Ab integri Sacramenti participatione.* Quicumq; percipiunt integrum Sacramentum Eucharisticum, illi non solum panem & vinum sed etiam corpus & sanguinem Christi percipiunt, quia Sacramentalis Unio intercedit pani & vino, corpori & sanguini Christi. Atqui indigni accipiunt integrum Sacramentum. Ergò indigni percipiunt non solum panem & vinum, sed & corpus & sanguinem Christi Sacramentaliter illi unitum.

CXXIII. 3. *Ab absurdorum enumeratione.* Si enim (juxta Calvinianos) S. Coena dignè sumentis est Sacramentum, indignè vero sumentis non est Coena Domini, sequitur fidem utentis constituere Sacramenti substantiam, & contra incredulitatem evertere eandem. At S. Coena Calvinianis est Sacramentum dignè sumentis, indignè sumentis non est Coena Domini. Ergò fides facit Sacramentum seu Coenam Domini, & incredulitas destruit. Conclusio est absurda, quia substantia & integritas Sacramenti non dependet à fide sumentis, sed à veritate instituentis. Ergò & alterutra Propositio absurda erit. Non Major. Si enim Coena Domini non est Coena Domini, quia non credit, esset autem, si crederet, sequitur quod fides faciat Sacramentum & incredulitas destruat. Ergò minor, quæ est Calvinianorum, falsa erit.

CXXIV. ADJUNCTA S. Coenæ sunt I. Tempus II. Locus.

CXXV.

CXXXV. Tempus S. Coenæ (juxta Gerhardum) vel est Institutionis, vel Administrationis, vel Durationis.

CXXXVI. *Institutio* hujus Sacramenti facta est anno mundi 4004. (vel ut alij computant anno 3995.) post institutionem agni Paschalis 1550. post natum Christum anno 34. currente die 5. Aprilis, vel ut alij colligunt 34. Maji, qui erat dies Jovis, sed hæc disceptanda Chronologis relinquimus.

CXXXVII. *Administratio* S. Coenæ ad certum & fixum tempus alligata non est in N. T. sicut fuit alligata administratio Paschæ in V. T. unde in verbis S. Coenæ non exprimitur certum tempus, quo celebratio hujus mysterij fieri debeat. Verba enim Evangelistarum, quod Christus vesperi sacrum hoc epulum instituerit, historicam tantum relationem, & certi temporis administrati, non administrandi S. Coenam determinationem continent. Unde Paulus vocabulum *ἑσπέρην* 1. Cor. 11, 25. 26. opponit certi temporis observationi, ac proinde Christi actio est quidem nostra institutio, non verò imitatio.

CXXXVIII. *Duratio* hujus Coenæ colligitur ex 1. Cor. 11, 25, quod scilicet duratura ea sit usq; ad diem novissimum, & Christi adventum ad judicium.

CXXXIX. Locus est vel Generalis, vel Specialis, vel Specialissimus.

CXXX. *Generalis* est vel Ordinarius, vel Extraordinarius.

CXXXI. *Ordinarius* S. Coenæ locus est *publicus*, nimirum templum, seu locus conventus Ecclesiastici 1. Cor. 11, 20. Act. 20, 7. Quod enim non in templo Hierosolymitano, sed in privatis ædibus prima Eucharistiæ institutio & administratio facta, per id nequaquam usus S. Coenæ privatis locis astringitur, sed factum Christi historicè tantum commemoratur. Quare cum in Ecclesia Christiana more receptum sit, ut in publicis conventibus post prædicationem & auditum verbi hoc mysterium celebretur, ideo sine urgente necessitate ab hac consuetudine non est discedendum, juxta illud Apostoli Gal. 5, 1.


CXXXII. *Extraordinarius* est locus *privatus*, ædes nimirum domestica seu privata, in quibus casu necessitatis postulante S. Coena administrari potest & debet Act. 2, 46. c. 20, 7.

CXXXIII. *Specialis* S. Coenæ locus est mensa 1. Cor. 10, 21. sive ea sit lignea, sive lapidea, utrumq; enim libertas Christiana concedit.

CXXXIV.

CXXXIV. *Specialissimus* Coenae Dominicae locus sunt vasa, in quibus fit consecratio *εὐχαριστίας*, nimirum *patina*, cui imponuntur hostiae, & *calix*, cui infunditur vinum. Hæc omnia constanter retinemus in nostris Ecclesiis, non ex aliqua necessitate, nedum cultu aliquo: sed ex libertate Christiana, quæ ut circa actionem Eucharisticam omnia non modo *εὐμέντως*, sed & *εὐχρημότως* peragerentur, usum vasorum istorum introduxit, cumq; sine ulla superstitione etiamnum retinet, neq; videt causam ullam evidentem, propter quam in gratiam Sacramentarium illa mutari debeant.

CXXXV. Hæc fuerunt, quæ de arduo hoc religionis nostræ Christianæ articulo pro instituti nostri ratione adducere visa sunt; concludo itaq; cum oratione Ambrosij: Fac me, Domine Jesu, per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere & intelligere, sentire & firmiter retinere, dicere & cogitare, quod tibi placeat, & animæ meæ expediat. Doce me quæso, per Spiritum tuum tantum mysterium tractare eâ reverentia & honore, eaq; devotione & timore, quibus oportet & decet. Tibi laus, veritas & adoratio seculis infinitis, Amen.



COROLLARIA.

- I. *An Minister sibiipſi Sacramentum Altaris porrigere possit, salvâ Christi institutione. Resp. cum nostratibus satius esse, si fieri possit, ut sumat ab alio, qui porrigat ex præscripto Christi, interim tamen casus necessitatis est excipiendus.*
- II. *An Laicus in casu necessitatis consecrare, & S. Cœnam administrare possit? Resp. N. Etsi enim in Baptismo hoc illi licitum est, non tamen hoc loco, quia Cœna Dominica non eadem est necessitas, qua*

D
Baptismi

Baptismi. Nam in casu vel necessitatis, vel in defectu rei elementaris, sine periculo salutis S. Cœna carere possumus, valet enim hoc tunc temporis: crede & manducaſti.

III. An aliquis rectè sentiens de Eucharistia tempore necessitatis possit communicare apud Calvinianos, vel Pontificios? Resp. N. (1) quia hoc modo peccatis alienis & alienâ heresi participaret. (2) quia Sacramenta sunt Symbola publicæ confessionis, quibus quisq; confessione illi addictus esse præsumitur, cujus sacris participat.

IV. An sacra symbola communicantibus in manus danda, an verò ori admovenda ab Ecclesia ministro? Resp. Calviniani & Neophotiniani pro necessitatis lege habent prius, Pontificij posterius. Nos disting. inter δόξιν & δόξως νόμον, illa essentialis & necessaria, hic Christiana libertati ob defectum peculiaris alicujus mandati relinquitur.

V. An muti ad Eucharistiam admittendi sint? Resp. cum Luth. tom. 1. Jen. Germ. f. 318. si non potest ex gestibus externis sciri, num debitam sui probationem asserant, arcendi sunt: Si verò indicis & gestibus externis, penitentiam, fidem ac devotionem suam testantur, admittendi.

VI. Quoties sit communicandum? Resp. alij dicunt quotidie, alij rarius, nonnulli ter in anno, aliqui semel;

mel; nos dicimus non posse certam aliquam regulam præscribi, sed cuiusq; conscientia, probationi & pietati hoc liberum esse relinquendum. Interim admonendi sunt Auditores, ne libertate hac abutantur, sed ex obsequio & reverentia erga Christum sæpius communicent.



Humanissimo & Doctissimo

DN. BERNHARDO ALBERTI,

De COENA DOMINICA

Disputanti.

Constantis Cœnam quam Christus pignus
amoris
Instituit, trahit hanc sæva ad discordia,
rixas

Hinc cudit ratio, renuens tibi credere Christe,
ALBERTE has rixas tentas componere; laudo.
Tu porro verum, pacemq; simul cole, solis
Nititur his fulcris Ecclesia dedita Christo.

Johannes Quistorpius,

D. & Th. Facult. Senior.



Ad DN. RESPONDENTEM

Amicum percharum

Quas det COENA dapes, dignè quis sumat easdem,
Exprimis eloquij fertilitate tui;

Acriter


*Acriter & contra rasam calvamq; Coboream
Defendis. Vera hoc est Pietatis opus.
Exprime sic porro, nec non defendere perge
Dogmata scripturas Premia magna feres.*

M. JOHANNES Ränkeler/
Pastor Eccles. Petrin.



Corporis ambrosiã, pascit nos dapifilis hospes
*Salvator, roseoq; suo nos nectare potos
recreat. O sacer ille cibus! sacrata benigni
Numinis ex fuso destillans gutta cruore!
Væ tibi qui gratâ cessas hæc volvere mente!*

ENOCHUS SVANTENIUS.



In gratiam Præstantissimi DN. RESPONENTIS,
Amitini & Fautoris sui perdilecti,

Mystica, qua nunquam Rami Dialectica, missis
Argutis, solvit simplicitate Fides.


*Namq; in Divinis semper Piscator habenas
Rexit, non itidem semper Aristoteles.*

Hæc ALBERTE satis tua nos Doctrina docebit

Quam Cathedrâ ostendis. Gratulor inde tibi.

Paucula hæc titubanti calamo scripsit,

MATTHÆUS TABBERT,
S. S. Theol. Stud.



mel; nos dicimus non posse certam
lam præscribi, sed cuiusq; conscientie
pietati hoc liberum esse relinquent
admonendi sunt Auditores, ne lib
tantur, sed ex obsequio & revere
stium sæpius communicent.



Humanissimo & Doctissimo
DN. BERNHARDO ALBERTO
De COENA DOMINI
Disputanti.

Constantis Cœnam quam C
amoris
Instituit, trahit hanc sæva
rixas

Hinc cudit ratio, renuens tibi cred
ALBERTE has rixas tentas compon
Tu porro verum, pacemq; simul co
Nititur his fulcris Ecclesia dedita

Johannes Q
D & Th. F

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX
Ad DN. RESPONDEN
Amicum percharum

Quas det COENA dapes, dignè quis sum
Exprimis eloq; fertilitate tui;

